

approbavit. Nec minùs vicariatus Archi-Episcopalis Moguntinus in sententiâ de Ann. 1738. Martii 13tiâ & Anno 1741. 4tâ Maji in ESTORS *Aufgangs, Gründen des gemeinen und Reichs-Proceß.* s. 2433. & 2434. Nec non in sententiâ 20mâ Maji 1756. in Causâ Appellationis Herbipolensis Abbatiae in Schönthal contra communitatem & Parochum in Marlach idem principium confirmârunt.

## VI.

SÆCULARES DECIMIS INVESTITI, EAS IN QUALITATE DECIMARUM  
SÆCULARIUM TENENT, ADEOQUE AD  
REPARATIONEM ECCLESIARUM  
NON OBLIGANTUR.

**Q**uando sæcularis à sæculari Decimis est investitus, quòd tunc omnis qualitas Decimæ Ecclesiasticæ exulet, vacat dubio; Ast quando Dominium directum est penes Ecclesiam, tunc potissimum quæstio oriri solet, an tales Decimæ, quo-úsque nexus feudalis perdurat, qualitate Ecclesiasticâ sint affectæ, nec ne? circa cuius quæstionis resolutionem præviè observandum est, fuisse tempora, queis Prælati pro lubitu circa bona Ecclesiastica versati, eásque facillimè alienare præsunebant.

D 2

Præ-

Præcipuè in bonis Mensalibus liberiorem sibi esse potestatem autumantes, substantiam Ecclesiæ circa necessitatem vel utilitatem in suos consanguineos, aut quæs favebant, milites, impendebant. Abusui huic frequenter obicem ponere sacri Canonos contendebant, nunc enim alienationes rerum Ecclesiasticarum, nunc bonorum Mensalium prohibebant; in specie verò infeudatione Decimarum iis interdixit GREGORIUS VII. *in Caus. 16. Quæst. 7. can. 3.* Verùm hæ omnes prohibitiones sicut tantùm abusus sui temporis refecare intendebant; ita neutiquam illicitas reddere cogitabant illas infeudationes, quæs locupletiores factæ Ecclesiæ, dum Dominium directum vel in Decimas laicales, vel in alia bona hâc ratione acquirebant, vel quas ipsa necessitas exigere videbatur; unde pro hujus exigentiâ non dubitabant Præfules, etiam personas sæculares sicut aliis redditibus, ita & Decimis investire. Aliqua Exempla afferam. Sic dum Dominium directum in varia bona, simûlque militem, turbulentis Germaniæ temporibus, Ecclesiis admodum necessarium, acquirere poterat Ecclesia Pataviensis, non dubitavit Episcopus Ann. 1198. in feudum concedere Decimas ad Ecclesiam pertinentes in LUDEW. *Rel. Mſt. Tom. 4. p. 211.* Eadem

dem Ratione Conciti Decimas contulit Episcopus  
Razeburgensis, in HELMOLD *Chron. Slavor. Lib. 1.*  
*C. 77.* Sic Decimas ab Ecclesiâ Moguntinâ recog-  
novit Landgrafius teste Chartâ in GUDEN. *Tom. 1.*  
*pag. 703.* Sic Milites quidam â Monasterio Hersfel-  
densi Decimas in feudum tenuerant, ceu patet è  
chartâ de An. 1273. apud eundem Tom. 1. p. III.  
Sic ARCHI-EPISCOPUS BREMENSIS Ann. 1297. civem  
investivit Decimis in SENCKENBERG *prim. lin. ap-*  
*pend. p. 8.* Sic Decimas ab Ecclesiâ Fuldenſi in feu-  
dum habuit Dysnasta: prout patet è Diplomate de  
An. 1304. in GUDEN. Tom. 4. p. 988. & ab Ecclesiâ  
Moguntinâ Comes Teste Chartâ de Ann. 1312. ibi-  
dem Tom. 3. p. 84. Similiter ab EPISCOPO HERBI-  
POLENSI An. 1431. in LUNIG *Corp. Jur. feud. germ.*  
p. 1559. uti & Miles ab Ecclesiâ Moguntinâ Ann.  
1436. in SENCKENBERG *Cit. L. p. 5. in fine.* pariter  
Comes ab Ecclesiâ Fuldenſi An. 1462. in SCHANNAT  
*client & Fuld. Cod. prob. N. 127.* Hâc enim ra-  
tione oportebat pacem & defensionem Impetrare  
Ecclesiis, ubi omne ferè jus Germaniæ in manu &  
bellis privatis, ac spoliationibus consistebat: Et  
hæc est ratio, cur hodie tot supersint Decimat, quas  
sæculares in feudum ab Ecclesiis recognoscunt.  
Circa Decimas hâsce quoad punctum reparandæ

Ecclesiæ ita scribit VALLENSIS in *Paratitl. Jur. Canon. Lib. 3. Tit. 48. N. 4.* *Decimæ feudales in manu Laicâ existentes sunt plane immunes ab onere reparandarum Ecclesiarum, & ædium Parochialium;* NON TAMEN ILLÆ, QUÆ DOMINUM ECCLESIASTICUM AGNOSCUNT. Cui opinioni non benè pondus addi videtur per hoc, quod olim, qui redditus Ecclesiæ in beneficium acceperint, ad Ecclesiæ reparandam fuerint obligati, ceu suprà MEDITATIONE 4. vidimus; aliunde verò notum sit, feuda olim dicta esse beneficia vid. E. g. SENCKENBERG prodr. jur. feud. p. 119. §. 9. MASCOV. de jure feud. C. 2. §. 4. BUDER repertor. jur. publ. & feud. V. beneficium & feudum; adeoque vasallis ejusmodi Ecclesiasticorum omnino incubuisse obligationem sumptus ad reparandam Ecclesiæ suppeditandi. Id quod & hodie rationem videtur habere, dum onus fabricæ etiam secundum Analogiam juris recentioris in specie TRIDENTINI Seff. 21. Cap. 7. incumbat redditibus & bonis Ecclesiasticis, & corum possessoribus, adeoque & iis, qui Decimas Ecclesiæ in feudum tenent. Verùm hæc omnia argumenta tanti non sunt ponderis, ut talibus vasallis ejusmodi onus injicere valant. Ut enim taceam, hoc argumentum

tum probare nimiùm , dum exinde sequeretur,  
non tantùm eos , qui Decimas Ecclesiæ sub lege  
fidelitatis tenent , sed quosvis vasallos Ecclesiæ-  
rum ad reparandas Ecclesias adstringi , quod ta-  
men notoriæ observantiæ refragatur ; aliunde co-  
gnitum est , quòd beneficium non eoipso pro  
feudo possit reputari . Sic enim constat , apud  
Romanos jam viguisse beneficia , & fuisse benefi-  
ciarios , quin tamen exinde sequatur , in Impe-  
rio Romanorum jam feuda & vasallos innotuisse ;  
potius enim magna inter illa beneficia & nostra  
feuda occurrit differentia , ceu eruditè ostendit  
præfatio ad BOEHMERII Tomum. 3. Exercit. ad Dig.  
Similiter etiam tempore Francorum notissima qui-  
dem fuere beneficia , & hæc ipsa semina feudo-  
rum , quæ ex iis deinceps post Ann. 1000. enata  
sunt , continet , Ceu MURATORI in *Diff. de Allo-*  
*diis , Vassis , Vassallis*. In JENICHEN Tom. 1. The-  
saur. *jur. feud.* ostendit . Ast inde nondum sequi-  
tur , beneficia Francorum jam fuisse feuda . Po-  
tius & hic magnum intercedere discrimin ostendit  
GEORG. LUDW. BOEHMER in program. *de feu-*  
*dis è Francorum beneficiis enatis*. Præcipue ma-  
gna inter feuda & beneficia Francorum Ecclesiæ-  
stica se prodit differentia ; si modo consideremus ,  
quòd

quod in ante deductis jam fuit observatum, scilicet beneficiorum ejusmodi possessores præter obligationem reparandi Ecclesias, exinde nonas & Decimas ad illam Ecclesiam vel Monasterium, unde beneficium acceperant, dare debuisse; prætereà beneficia hæc certo modo fuisse precaria, dum è Capite propriæ indigentia ab Ecclesiâ poterant revocari, denique morte Precaristæ tale beneficium vacasse, nec in ullum ejus heredem transiisse. Quæ omnia in feudis etiam Ecclesiasticis longè aliter se habent; horum enim natura non in eo consistit, ut Vasallus reparet Ecclesias, ut nonas & Decimas Ecclesiæ præstet, sed ut fidelitatem exhibeat, Ecclesiam tueatur & defendat, & servitia regulariter militaria, sive castrensis sive extra castrum præstet. Feuda Ecclesiastica, non temporalem tantum ususfructus alienationem, sicut beneficia tempore Francorum, sed longè firmioram abdicationem Dominii utilis continent, & hinc nec ex capite indigentia Domini directi revocari, nec Descendentibus Vasalli ab Ecclesiâ eripi possunt. Quæ ipsa differentia in causâ est, cur beneficia hæc tempore Francorum adhuc pro bonis Ecclesiasticis etiam durante adhuc precariâ potuerint considerari, cùm econtrâ feudum ab Ecclesiâ

clesiâ datum durante nexu feudalî perinde ac alia  
res sacerdotalis à vasallo possideatur, & sic omnis qua-  
litas Ecclesiastica extincta sit, & demum in casu  
consolidationis cum Dominio directo reviviscat.  
confr. BOEHMER Tom. 1. Consult. 4. Num. 161. &  
*seqq.* adeoque suâ sponte conficitur, quod, quia  
bona ab Ecclesiâ sacerdotalibus in feudum data quo-  
usque ut feudalia possidentur, non possunt ut bona  
Ecclesiastica considerari, quod eo ipso etiam, quam  
parùm ad Mensam Episcopalem, ad congruam  
Clericorum, & ad sustentationem pauperum, tam  
parùm etiam ad fabricam Ecclesiæ à vasallis sacer-  
dotalibus impendi debeant, quodque similiter vasalli  
Decimis ab Ecclesiastico investiti ad reparationem  
Ecclesiæ concurrere meritò detrectent. Nam (ut  
benè ait CORPZOV. in jurisprud. Consistoriali Lib. 2.  
def. 347.) *bona feudalia onere contribuendorum Ec-  
clesie sumptuum non debent gravari, cum enim va-  
sallus ratione feudi Domino directo sit obstrictus ad  
servitia, aequum, ut vicissim ab aliis oneribus quo-  
ad feudum eximatur, ne duplii onere gravetur.*  
Néque in contrarium authoritas VALLENSIS suî  
usque adeò est valitura momento, ut integrum hanc  
juris feudalis & hodierni analogiam queat evertere,  
hinc potius eatenus prævalebit sententia à COSTÆ

*ad Decretalcs Tit. de transaction. In fin. dum ait:  
Laici decimas in feudum ab Ecclesiâ datas jure op-  
timò possident tanquam res proprias & patrimonia-  
les, & BARBOSÆ ad C. 2. de Decimis in 6. N. 12. scri-  
bentis: Decimæ postquam in Laicos alienatæ fue-  
runt, factæ sunt de ipsorum patrimonio, & uti profa-  
na bona censeri debent. Nec non ESPENII P. 2. Tit.  
33. C. 4. N. 380. seqq. ubi ita dicit: Illud jam pridem  
hic & in Galliâ alijsque partibus invaluit, quod De-  
cimæ infeudatæ à Laicis possideantur ut alia bona  
patrimonialia, idque observarunt omnes pragmatici,  
& notoria praxis ubique confirmat. Qui etiam in  
subsequentibus benè observat Decimas ejusmodi,  
si soluto Nexus feudalí ad Eccleseas revertantur,  
rursùs qualitatem reddituum Ecclesiasticorum  
induere, horumque juribus deinceps  
esse astimanda.*

O. A. M. D. G.

